

# EPISTULA LEONINA

## CLXII

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CLXI** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGIAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM SEXAGESIMAM SECUNDAM (162) !**

## ARGUMENTA

<b>ACTAEON DIANAM ASPECTANS PICTUS.....</b>	<b>03</b>
<b>ACTAEONIS METAMORPHOSIS.....</b>	<b>04 – 07</b>
<b>INDEX PALAESTRAE LATINAE (Platzdasch).....</b>	<b>08 – 11</b>
<b>FABELLA GRIMMIANA: De Puellâ manibus orbatâ.....</b>	<b>12 - 18</b>
<b>PERAEQUATIO COMITIALIS (Teresi).....</b>	<b>19 - 20</b>

## LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

### *Cara Lectrix, Care Lector,*

maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre *Epistulam Leoninam centesimam sexagesimam secundam*.

Variatio cum delectet, denuo Tibi praebeo corniculum copiae sat varium: Invenies in hac Epistulâ Leoninâ *Actaeonem* miserrimum venatorem videndi cupidum et picturâ et sculpturâ et versibus Ovidianis illustratum, invenies Indicem *Palaestrae Latinae* periodici neolatini illustris a *Bernardo Platzdasch* docte compositum, invenies *Fabellam Grimmianam* necnon *narratiunculam* a *Iohanne Teresi* narratam. Ergo, cara Lectrix, care Lector, cena tibi apparatus est opipara: tolle lege fruiere!

Medullitus Te salutat  
**Nicolaus Groß**  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,**

**Die Dominicâ, 15. m.Apr., a.2018**



**»NUNC TIBI ME POSITO VISAM VELAMINE NARRES,  
SI POTERIS NARRARE, LICET !« NEC PLURA MINATA  
DAT SPARSO CAPITI VIVACIS CORNUA CERVI**

**ACTAEON DIANAM ASPECTANS NUDAM MUTATUR IN CERVUM.**

(OVIDIUS, Met. III, 192-194)

Pinxit Pieter van Harinxma thou Slooten (1610-1669).

## DE ACTAEONE

OVIDIUS, *Metamorphoses* III,138-252

Prima nepos inter tot res tibi, Cadme, secundas  
 causa fuit luctus, alienaque cornua fronti  
 addita, vosque, canes satiatae sanguine erili. 140  
 at bene si quaeras, Fortunae crimen in illo,  
 non scelus invenies; quod enim scelus error habebat?

Mons erat infectus variarum caede ferarum,  
 iamque dies medius rerum contraxerat umbras  
 et sol ex aequo meta distabat utraque, 145

cum iuvenis placido per devia lustra vagantes  
 participes operum conpellat Hyantius ore:  
 'lina madent, comites, ferrumque cruore ferarum,  
 fortunaeque dies habuit satis; altera lucem  
 cum croceis invecta rotis Aurora reducet, 150  
 propositum repetemus opus: nunc Phoebus utraque  
 distat idem meta finditque vaporibus arva.  
 sistite opus praesens nodosaque tollite lina!  
 iussa viri faciunt intermittuntque laborem.

Vallis erat piceis et acuta densa cupressu, 155  
 nomine Gargaphie succinctae sacra Dianae,  
 cuius in extremo est antrum nemorale recessu  
 arte laboratum nulla: simulaverat artem

ingenio natura suo; nam pumice vivo  
 et levibus tofis nativum duxerat arcum; 160

fons sonat a dextra tenui perlucidus unda,  
 margine gramineo patulos incinctus hiatus.

hic dea silvarum venatu fessa solebat  
 virgineos artus liquido perfundere rore.

quo postquam subiit, nympharum tradidit uni 165  
 armigerae iaculum pharetramque arcusque retentos,

altera depositae subiecit bracchia pallae,

vincla duae pedibus demunt; nam doctior illis

Ismenis Crocale sparsos per colla capillos

colligit in nodum, quamvis erat ipsa solutis. 170

excipiunt laticem Nepheleque Hyaleque Rhanisque  
 et Psecas et Phiale funduntque capacibus urnis.

dumque ibi perluitur solita Titania lympha,  
 ecce nepos Cadmi dilata parte laborum  
 per nemus ignotum non certis passibus errans 175  
 pervenit in lucum: sic illum fata ferebant.  
 qui simul intravit rorantia fontibus antra,  
 sicut erant, nudae viso sua pectora nymphae  
 percussere viro subitisque ululatus omne  
 inplevere nemus circumfusaeque Dianam 180  
 corporibus texere suis; tamen altior illis  
 ipsa dea est colloque tenus supereminet omnis.  
 qui color infectis adversi solis ab ictu  
 nubibus esse solet aut purpureae Aurorae,  
 is fuit in vultu visae sine veste Dianae. 185  
 quae, quamquam comitum turba est stipata suarum,  
 in latus obliquum tamen adstitit oraque retro  
 flexit et, ut vellet promptas habuisse sagittas,  
 quas habuit sic hausit aquas vultumque virilem  
 perfudit spargensque comas ultricibus undis 190  
 addidit haec cladis praenuntia verba futurae:  
 'nunc tibi me posito visam velamine narres,  
 si poteris narrare, licet!' nec plura minata  
 dat sparso capiti vivacis cornua cervi,  
 dat spatium collo summasque cacuminat aures 195  
 cum pedibusque manus, cum longis bracchia mutat  
 cruribus et velat maculoso vellere corpus;  
 additus et pavor est: fugit Autonoeius heros  
 et se tam celerem cursu miratur in ipso.  
 ut vero vultus et cornua vidit in unda, 200  
 'me miserum!' dicturus erat: vox nulla secuta est!  
 ingemuit: vox illa fuit, lacrimaeque per ora  
 non sua fluxerunt; mens tantum pristina mansit.  
 quid faciat? repetatne domum et regalia tecta  
 an lateat silvis? pudor hoc, timor inpedit illud. 205  
 Dum dubitat, videre canes, primique Melampus  
 Ichnobatesque sagax latratu signa dedere,  
 Cnosius Ichnobates, Spartana gente Melampus.  
 inde ruunt alii rapida velocius aura,  
 Pamphagos et Dorceus et Oribasos, Arcades omnes, 210

Nebrophonosque valens et trux cum Laelape Theron  
 et pedibus Pterelas et naribus utilis Agre  
 Hylaeusque ferox nuper percussus ab apro  
 deque lupo concepta Nape pecudesque secuta  
 Poemenis et natis comitata Harpyia duobus 215  
 et substricta gerens Sicyonius ilia Ladon  
 et Dromas et Canache Sticteque et Tigris et Alce  
 et niveis Leucon et villis Asbolos atris  
 praevalidusque Lacon et cursu fortis Aello  
 et Thoos et Cyprio velox cum fratre Lycisce 220  
 et nigram medio frontem distinctus ab albo  
 Harpalos et Melaneus hirsutaque corpore Lachne  
 et patre Dictaeo, sed matre Laconide nati  
 Labros et Argiodus et acutae vocis Hylactor  
 quosque referre mora est: ea turba cupidine praedae 225  
 per rupes scopulosque adituque carentia saxa,  
 quaque est difficilis quaque est via nulla, sequuntur.  
 ille fugit per quae fuerat loca saepe secutus,  
 heu! famulos fugit ipse suos. clamare libebat:  
 'Actaeon ego sum: dominum cognoscite vestrum!' 230  
 verba animo desunt; resonat latratibus aether.  
 prima Melanchaetes in tergo vulnera fecit,  
 proxima Theridamas, Oresitrophos haesit in armo:  
 tardius exierant, sed per compendia montis  
 anticipata via est; dominum retinentibus illis, 235  
 cetera turba coit confertque in corpore dentes.  
 iam loca vulneribus desunt; gemit ille sonumque,  
 etsi non hominis, quem non tamen edere possit  
 cervus, habet maestisque replet iuga nota querellis  
 et genibus pronis supplex similisque roganti 240  
 circumfert tacitos tamquam sua bracchia vultus.  
 at comites rapidum solitis hortatibus agmen  
 ignari instigant oculisque Actaeona quaerunt  
 et velut absentem certatim Actaeona clamant  
 (ad nomen caput ille refert) et abesse queruntur 245  
 nec capere oblatae segnem spectacula praedae.  
 vellet abesse quidem, sed adest; velletque videre,  
 non etiam sentire canum fera facta suorum.

undique circumstant, mersisque in corpore rostris  
dilacerant falsi dominum sub imagine cervi,  
nec nisi finita per plurima vulnera vita  
ira pharetratae fertur satiata Dianae.

250



**EN ACTAEONA MISERRIMUM PRAEDAM CANUM SUORUM**  
**Haec sculptura invenitur in horto castelli Schwetzingensis barroco**

<http://www.periodica.pantoia.de/palaestra-latina/>

## INDEX OMNIUM SYMBOLARUM EPISTULARUM VERSIONUM QUAE IN PERIODICO «PALAESTRA LATINA» INSCRIPTO CONTINENTUR

### Prooemium

Quis inter cultores Latinitatis recentis interitum commentariorum Latinorum non dolet? Ex numero periodicorum ex integro Latine scriptorum, quae saeculo praeterito floruerunt, duo tantum exstant, «[Vox Latina](#)» et «[Melissa](#)». In iis periodicum Vaticanum illum «[Latinitas](#)» inscriptum non iam annumerandum est, quod ex anno 2013<sup>o</sup> non tantum symbolae Latinae, sed etiam textus aliis linguis Europaeis scripti in eo divulgantur.



Quamquam hodie in interreti utilia et iucunda magno numero offeruntur, quae ad Latinitatem recentem spectant – occasio nobis est, ut exempla quaedam afferam, omni tempore acta diurna Latine scripta in navigatro (*Browser*) pervolvendi, nuntios Latinos aut etiam acroases Latinas audiendi, doctos Latine loquentes videndi –, non pauca ibi inveniuntur, quae tam vitiosa sunt, ut nihil utilitatis habeant. Sed haec quis vituperat? Quis erranti monstrat viam?



Res autem longe aliter se habet, si commentarios periodicos Latinos a philologis doctis editos aspiciamus, ubi leges grammaticae et syntacticae non violantur, verba apta et usitata in usu sunt, oratio ad recta exempla ficta est, tam menda typographica quam errata indicantur atque de rebus tam variis agitur, ut alacritas legendi augeatur. Qua de re valde dolendum est, quod maxima pars periodicorum Latinorum in oblivione iacet.

Sed fortuna omnibus cultoribus Latinitatis favet. Nam anno 2015° ab associatione Granadensi c.n. «Cultura Clásica» duae partes fasciculorum «Palaestrae Latinae» cum permissione Congregationis Missionarum Filiorum Cordis B.M.V. in publicum propositae sunt. Qui fasciculi in formam electronicam (*PDF*) redacti omnibus gratis in interreti praebentur hoc loco:

[www.culturaclasica.com/palaestralatina](http://www.culturaclasica.com/palaestralatina).

Quantus thesaurus nobis donatus sit, apparet, si fasciculos oculo veloci percurramus. Reperiuntur praeter res didascalicas (exercitationes scholares, explicationes grammaticales et stilisticas, textus vertendos, colloquia scholaria), praeter nuntios ad Latinitatem spectantes, praeter epistulas doctorum et lectorum, praeter existimationes vel recensiones librorum, praeter verba conficta ad exprimenda nostrae aetatis inventa, praeter commentationes de rebus litterariis ac de vita et operibus virorum illustrium etiam multa ad animum lectoris oblectandum, inter quae poemata, hymni, narratiunculae, fabulae nubeculatae, apologi, facetiae, cantica, aenigmata varii generis sunt.

Ut tu, humanissime lector, divitiis huius thesauri nullo negotio frui posses, hic index datothea (*database*) nitens compositus est. In paginis huius situs interretialis indices argumenta fasciculorum sub variis aspectibus ante oculos ponentes atque formularia requisitionis (*search forms*) ad symbolas eligendas praebentur. Paginae fere omnium symbolarum sine ambage in navigatro offeruntur.

Insuper intende animum ad haec:

Quamquam hac datothea fasciculi Granadenses atque aliquot fasciculi a me in bibliothecis Germanicis indagati continentur, tamen

septuaginta quattuor desunt. Ubi iidem asseverentur, incompertum adhuc est.

In fasciculis «Palaestrae Latinae» nomina auctorum et locorum non raro varie scribuntur, ad haec auctoribus et locis plerumque nomina latinizata aut per notas scripta imposita sunt. Potest esse exempli gratia, ut symbola quaedam ab Josepho Maria Mir conscripta uno ex nominibus aut compendiis his notata sit: J. M., J. M. M., J. M. Mir, J. M.<sup>a</sup> Mir, J. Mirius, Jos. M.<sup>a</sup> Mir, Joseph Mirius, Josephus M. Mir, Josephus M.<sup>a</sup> Mir, Josephus Maria, Josephus Maria Mir, Josephus Mir. Ut omnes symbolas auctoris reperiri atque offerri possent, omnes rationes eundem nominandi collectae atque singulis symbolis ab eodem conscriptis adiunctae sunt. Ubi defuerunt, nomina genuina (*names at birth*) meo periculo addidi. Insuper ex variis nominibus unum eligendum erat ad data digerenda.

Nominibus locorum, quae latinizata sunt, ea nomina, quae his temporibus in usu sunt, anteponuntur.

Quod ad existimationes librorum attinet, cum menda typographica et errata in titulis librorum tacitus correxi, tum rationem titulos describendi ita mutavi, ut existimationes facilius inveniri possent.

In campos inditorios (*entry fields*) formulariorum verba criteria requisitionis ut libet referri (*to enter*) possunt, qua in re nihil interest, utrum verba litteris maiusculis an minusculis scripta sint. Etiam signa diacritica nullius momenti sunt. Qua de causa, ut exemplo utar, series characterum (*character strings*) «Jiménez» et «jimenez» ad requirendum nihil differt. Licet insuper verba truncata indere. Signum «%» pro serie characterum ignotorum sive inter verba (alsina%costa%guardiola) sive intra verbum (Palae%ra) scribendum est. Singula verba conexione logica (*logical operator*) «AND» interposita (guardiola AND alsina AND costa) criterium requisitionis fiunt.

In «Palaestra Latina» litterae «j» et «v» sonum consonans characterum «i» et «u» exprimentes in usu sunt.

Utere uno ex navigatris his: «Chrome» (60+), «Firefox» (57+), «Opera» (50+), «Vivaldi» (1.12+).

Ceterum spero hunc Indicem generalem «Palaestrae Latinae» una cum [Indice generali «Vocis Latinae»](#) ante biennium in situ interretiali nostro in lucem proposito omnibus cultoribus Latinitatis usui fore. Si tu, benevolens lector, de corrigendis me certiore feceris, labor emendandi mihi levior erit.

Restat, ut iis gratias agam quam maximas, quorum opera et consilio in hoc indice conficiendo usus sum.

Dabam Heidelbergae Kal. Mart. a. MMXVIII

*Bernardus Platzdasch*

## FABELLA GRIMMIANA

### DE PUELLA MANIBUS ORBATA



Quidam molitor paulatim et gradatim ad inopiam redactus nihil possedit nisi molinam magnamque arborem mâlum, quae stabat post illam. Aliquando molitor cum in silvam iisset lignatum, aliqui senex eum adiit, quem numquam viderat, et: “Quid” inquit “te vexas arboribus findendis, ego te ditificabo, si quidem mihi promiseris id quod stat post molinam tuam.” – ‘Quid hoc est nisi mâlus mea’ molitor cogitavit, affirmavit, ascripsitque viro alieno. Is autem molitorem irridens abiit. Molitor cum domum veniret, uxor ei obvênit et: “Heus” inquit “molitor, unde veniunt subito tantae divitiae in domum nostram? Subito omnes cistae et capsae sunt plene, nullus homo eas attulit; nescio quomodo hoc factum sit.”


Molitor respondit: “Hoc effectum est a viro alieno, in quem in silvâ incidi; qui mihi promisit magnos thesauros: ego autem invicem ei ascripsi id quod stat post molinam; magnam mâlum licet ei demus pro illis.” – “Eheu marite” uxor territa inquit “iste fuit diabolus: non

locutus est de mâlo, sed de nostrâ filiâ, quae post molinam stetit aulam verrens.”



Filia autem molitoris erat puella pulchra piaeque, et per tres annos vixit timorata expers peccatorum. Spatio temporis transacto cum dies veniret, quo diabolus voluit venire eam abducturus, puella se lavit, ut esset pura, et cretâ coronam circa se delineavit. Diabolus apparuit quidem valdê maturê, sed non potuit puellae appropinquare. Īdem irâ incensus molitori dixit: “Aufer illi omnem aquam, ne possit se lavare, nam alioquin nullam vim possum adhibere in illam.” Molitor, quia timuit, hoc fecit. Postridie mâne diabolus rediit, sed illa lacrimavit in manûs suas, ut essent prorsus purae. Tum diabolus iterum illi non potuit appropinquare et irâ incensus dixit molitori: “Abscîde illi manûs, alioquin nullam vi in illam possum adhibere”. Molitor horrore perfusus respondit: “Quomodo abscîdam manum filiae meae propriae!” – Tum maleficus ei minatus: “Nisi” inquit “hoc feceris, tu eris meus et te ipsum mecum abducam.” – Pater autem timore correptus promisit se esse obtemperaturum. Tum puellam adiit et: “Mea filia” inquit “nisi tibi ambas manûs abscîdero, diabolus me abducet. Timore correptus illud promisi. Adiuva me perclitatem, qui sim in angustiis, et ignosce mihi malum, quo te afficiam.” – Puella autem: “Câre pater” inquit “fac de me quidcumque vis, nam sum filia tua”. Deinde ambas manûs deposuit et passa est easdem abscîdi.

Deinde diabolus vênit tertio, sed puella tam diu tot lacrimas flendo instillaverat brachiis obtruncatis, ut tamen esset prorsus pura. Ideo diabolus coactus est, ut cederet et omni iure puellae privaretur.



Molitor autem: “Per te” inquit “tanta bona accepi, ut te per totam vitam curabo copiosissimê”. Sed illa respondit: “Hôc loco non potero manere; volo abire, homines misericordes tantum mihi dabunt, quantum mihi erit necessarium”. Deinde sivit sibi brachia mutilata dorso alligari, et sole oriente profecta est. Puella iit per totum diem, usque dum fieret nox. Tum vênit ad hortum regium et in lunae luce nitidâ vidit stare arbores fructibus pulchris plenas; at non potuit introgredi, nam hortus circumdatus erat fossâ aquaticâ. Cum autem puella per totum diem migravisset nullumque frustum cibi comedisset et fame vexaretur, intra se cogitavit: ‘Eheu, utinam horto insim, ut comedam aliquem e fructibus, alioquin tabescam’. Tum genua flexit, Dominum Deum advocavit, oravit. Subito advênit angelus, qui catarractâ aquae clausâ effecit, ut fossa aresceret et puella pervadere posset: Nunc eadem angelo comite iit in hortum. Quae vidit arborem pomis plenam, quae erant pulchra pira, sed omnia erant numerata.

Tum puella accessit et unum ore ab arbore decerptum comêdit, ut famem expleret, sed non plura. Hortulanus autem hoc vidit, sed cum angelus apud puellam staret, timuit et putavit puellam esse phantasma, tacuit, non ausus est vocare aut phantasma alloqui. Puella autem piro comeso saturata in virgultum abiit se abditum. Rex autem, qui erat possessor horti, postridie mâne devênit, numeravit, vidit unum pirum deesse, quaesivit ex hortulano, quo idem pirum esset ablatum; idem non iacêre sub arbore, tamen deesse. Tum hortulanus: “Hesternâ nocte” inquit “aliquod phantasma introgressum a manibus vacuum unum pirum comêdit ore decerptum”. – Rex autem: “Quomodo” inquit “phantasma trans aquam invasit? Et piro comeso quo iit?” – Hortulanus autem respondit: “Aliquis de caelo vênit veste niveâ indutus, qui catarractâ claudendâ aquam inhibuit, ut phantasma transiret per fossam. Quia pro certo habui illum fuisse angelum, timui neque quaesivi neque vocavi. Phantasma cum primum comedisset, recessit. Rex: “Si ita est” inquit “ut dicis, hac nocte apud te vigilabo”.

Cum advesperasceret, rex vênit in hortum secumque adduxit sacerdotem, qui phanasma alloqueretur. Omnes tres sub arbore consederunt et attenderunt. Mediâ autem nocte puella e virgulto erepsit, arborem accessit, iterumque comêdit pirum ore decerptum, iuxta eam stabat angelus veste niveâ indutus. Tum sacerdos egressus: “Venistine” inquit “a Deo missa an e mundo? Esne phantasma an homo?” – Illa respondit: “Non sum phantasma, sed homo miserabilis, ab omnibus relictâ excepto Deo”. Rex autem: “Si ab omnibus hominibus es relictâ, tamen ego te non relinquam”. His dictis puellam secum adduxit ad castellum suum regium, et quia ea fuit eximiê pulchra et pia, ex animo amavit, curavit, ut puellae fabricarentur manûs argenteae eamque in matrimonium duxit.

Anno transacto, cum rêgi esset expeditio faciendâ, iuvenem reginam mandavit matri et: “Si erit in puerperio, bene curate et colite eam, et statim de hac re scribite mihi epistulam.” – Nunc regina puerum peperit pulchrum. Tum mater vetula properê de hac re scripsit, ut nuntiaret rem laetam. Nuntius autem in itinere ad rivum quievit et longo itinere fatigatus obdormivit. Tum vênit diabolus, qui semper cupiebat iuveni reginae nocere, et in loco epistulae maternae posuit

alteram, in quâ scripserat reginam peperisse cambionem<sup>1</sup>. Rex epistulam legens territus est et magno maerore afflictus, sed respondens scripsit, ut reginam bene colerent curarentque, dum ipse adveniret. Nuntius cum hac epistulâ rediens eodem loco quievit, iterumque obdormivit. Tum iterum vênit diabolus aliamque epistulam perae imposuit, in quâ scriptum erat occidendam esse reginam cum infante. Epistulâ acceptâ mater vetula vehementer territa est, incredula rêgi rescripsit, sed non accepit aliud responsum, quia diabolus nuntio semper supposuit epistulam falsam, et in ultimâ epistulâ scriptum erat, ut indicio veritatis reservarent reginae linguam oculosque.

Sed mater vetula lacrimans, quod effundendus esset sanguis tam innocens, nocte curavit cervam afferendam, cuius linguam oculosque exsectas reservaret. Deinde reginae dixit: “Non patior te necari, ut iubet rex, sed tu non debes hîc remanere. Abi cum infante tuo in mundum longinquum, ne umquam redeas”. – His dictis socrus infantem nurûs dorso alligavit et misera regina abiit oculis lacrimosis. Quae vênit in magnam silvam feram, ibidem genua flexit et oravit Deum, ut ei appareret angelus Domini eamque duceret ad parvam domum, cui affixum erat indiciolum, in quo inscripta erant verba haec: “Hic gratis habitat unusquisque”. E domunculâ egressa est virgo nivea, quae dixit: “Salva sis, regina” illamque introduxit. Deinde eadem virgo ligamento soluto puerulum de dorso sumpsit, mammis matris apposuit, ut biberet, et lectulo imposuit pulchrê praeparato. Tum mulier misera: “Unde” inquit “scis me fuisse reginam?” - Virgo nivea autem respondit: “Angelus sum a Deo missus, ut te filiolumque tuum curem”. Deinde mulier in domo remansit per septem annos et bene curata est, et veniâ Dei effectum est, ut propter mulieris pietatem manûs abscisae ei denuo crescerent.

Tandem rex expeditione finitâ rediit domum et primum voluit videre uxorem filiolumque. Tum mater eius vetula lacrimans: “Tu male vir” inquit “quid mihi scripsisti, ut necarem duas animas innocentes!” et filio monstravit illas epistulas duas, quas maleficus falsaverat, et: “Feci” inquit “quae mihi imperaveras” et illi monstravit indicia linguam oculosque. Tum rex coepit flere etiam amarius de uxore suâ miserrimâ suoque filiolo, ut matrem vetulam eius misereret, et ei

---

<sup>1</sup> +cambiō, -ōnis m. *Wechselbalg*.



diceret: “Ne fleas, illi adhuc vivunt. Clam curaveram mactare cervam, ex quâ sumerem indicia, sed uxoris tuae dorso infantem alligavi illamque iussi abire in mundum longinquum et promittere, ne umquam huc rediret, quia tu ei tam vehementer irascereris.” – Tum rex: “Ibo” inquit “tantum, quantum caelum est caeruleum, neque comedam neque bibam, usque dum reperiam caram meam uxorem carumque meum filium, nisi interim erunt interfecti vel fame perierint”.

Deinde rex circumvagabatur, per septem ferê annos in omnibus cautibus cavernisque saxosis quaeritavit, sed cum non inveniret, cogitavit illos periisse. Per illud tempus totum rex neque comedit neque bibit, sed Deus eum servavit. Tandem autem pervênit in magnam silvam ibique invênit parvam domunculam, cui affixum erat indiciolum, in quo inscripta erant verba haec: “Hîc gratis habitat unusquisque”. Tum exiit virgo nivea; manu apprehensâ regem introduxit et dixit: “Salvus sis, domine rex” et ex illo quaesivit, unde venisset. Rex autem: “Per septem ferê annos” inquit “circumvagatus quaerito uxorem et filiolum, sed invenire non possum”. Cum angelus rêgi praeberet esculenta et potulenta, is non accepit nihilque voluit nisi paululum requiescere. Tum cubitum iit faciem suam panno obvolvit.

Deinde angelus iit in cubiculum, ubi regina sedebat cum filio, et ei dixit: “Exi cum filio tuo, nam veniet maritus tuus”. – Tum regina iit illuc, ubi iacebat rex et pannus de eius facie decidit. Tum illa: “Puer dolose, tolle pannum patri tuo, et retege eius faciem.” – Puer autem pannum sublato patris faciem retexit. Quod rex audivit dormiens et libenter sivit pannum iterum decidere. Tum puerulus impatiens: “Cara mater” inquit “quomodo tegam patris faciem, quamvis nullus pater mihi sit in mundo? Didici orare: ‘Pater noster, qui es in caelo’; tum mihi dixisti patrem meum esse in caelo et esse Carum Deum; quomodo noverim virum tam ferum? Iste non est pater meus”. – His auditis rex surrexit et interrogavit, quis esset mulier. Tum illa: “Ego” inquit “sum uxor tua et hic est filius tuus dolorosus”. Rex autem manûs mulieris vivas cum conspiceret: “Uxor mea” inquit “erat manibus argenteis”. Illa respondit: “Manûs meae naturales ut recrescerent fecit Deus propitius” et angelus in cubiculum iit, attulit manûs argenteas rêgique monstravit. Nunc tandem rex cum certo cognosceret adesse caram suam uxorem carumque suum filium, eos

osculatus et laetatus: “Lapis” inquit “ponderosus cecidit de corde meo”. Tum angelus Dei iterum omnes unâ cibavit; deinde domum ierunt ad matrem rēgis vetulam. Tum longê latêque gaudium est obortum maximum et rex et regina iterum celebraverunt nuptias et unâ vixerunt laetissimê usque ad finem suum beatum.

**FINIS**

## **FABELLA GRIMMIANA**

**QUAE ORIGINALITER INSCRIBITUR**

**«Das Mädchen ohne Hände»**

**IN LATINUM CONVERTIT**

**LEO LATINUS**

## Peraequatio Comitialis

Quidam, cui nomen erat Vitus Favilla, nuncupatus “*Magnus Venter*”, - causa eius magnitudinis vix bracis continebatur - assidue se ad civitatis comitia praesentabat, ut fieret consiliarius factionis russatae, quae pro plebe pugnabat, et cuius vexillum ostentabat falcem malleumque.

Erat tam particeps et vehemens et pugnax ut ne minimum quidem iniuriam pateretur; nulla clementia utebatur cum adversariis pugnans, nec commercium cum eis faciendum admittebat. Celeber adversarius eius erat is, qui adhaerebat factioni albatae, cui nomen erat *Johannes Toccasana*, cuius vexillum ostendebat crucem christianam.

Contingebat, ut iidem, quotienscumque comitia instituebantur factionum adversarum, alloquerentur populum in platea, alteri sua argumenta ferentes, alteri altera adferentes.

Sectatores russatae factionis implebant locum vexillis et magna eloquentia: dicebant societatem conversum iri labore distribuendo, aequo animo quo omnes gradus societatis alii ab aliis considerandi essent, iustitiam pecuniariam et tributariam esse fovendam. Hoc temporis puncto plebs adsentiebatur maxima acclamatione.

Vitus Magno Ventre cum sectatoribus sequebatur locutores assensu.

Cum contingebat ei, ut verbum impenderet, eius vestimenta – sicut diximus – consueto modo distincta erant, ea in primis in ordinem redigebat, postea alloqui incipiebat, quin diras saepe imprecaretur. Verbum unicum suum repetebatur: *Necesse est, ut omnes cibo utantur!* Plebs si ex parte oculis incertis eum aspiciebat quasi incredula, aliquis ex altera dicebat leniter: *nonne melius est te cibo uti pauciore quam nos paucum habentes?* Vitus interea se gerebat ut tela locutionis suae in inimicum factionis adversae, Johannem, quem accusabat ad populum discrimen facientem inter patricos et plebem, coniceret.

Postquam sectator russatus locutus est, et cum folia factionem celebrantia data sint populo et facta sint sollemnia nuntia de rebus novis populo offerendis, adfuit sectator albatus, qui ostentabat crucem.

Johannes Toccasana, dissimilis omnino primo sectatori, tam gracilis erat, ut cum ventus spiraret eum paene auferret vel potius in terram deiceret.

Platea hoc momento implebatur vexillis alteris, albis plerumque, in quibus inscriptum erat verbum, q.e. “Libertas”.

De pulpito, ubi locabantur sectatores et competitores, hi proiciebant caryophylla alba ad populum.

Ex sectatoribus erat sacerdos, qui primus locutus est, cum eum non puderet ventrem magnum ostendere aptum ad tunicam inflandam.

Postea, gratiis actis et necessariis dictis, Johannes loqui coepit.

Dixit autem omnibus instituendam esse denique caritatem et neminem, paupertatis causa, coactum esse, ut in Providentiam maledicta iactaret. Et populus statim ei applausit, cum ei adsentiretur. At inimicus russatus, Magnus Venter, non assensus est, quia verba illius considerabat vana et stulta. Contione peracta et foliis crucem celebrantia distributis, populus, in dubiis persistens, abibat incertus, foliis in terra relictis, cogitans leniter se in secreto quale indicium prolaturum eo necesse esse.

Satis tantum modo erat, ut dictator rursus vitaretur in re publica.

Johannes Toccasana adveniebat, ut elegeretur facillime, auxilii tamen gratia catholicorum qui divina claritate carebant. Aliquo die mehercle Magni Ventris undecima electione gratificati cor ictum est repentino malo, et idem vir mortuus est.

### ***Joannes Teresi***

*Observandum est nomina personarum ibi prolata esse omnino ficta.*

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040 6A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	-----	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	<b>A</b>	<b>938905-28-9</b>	<b>T.LIVIO DESCRIPTA</b>						
<b>30</b>	<b>00307</b>	<b>978-3-938905-29-6</b>	<b>FABELLAE GRIMMIANAE II</b>	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**



**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM SEXAGESIMAM SECUNDAM  
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Die Dominicâ, 15. m.Apr. a.2018**

**Nicolaus Groß**

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



**LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.de/>